

in ^{a)} VIII Kal. Apr. fuisse XIX., sed nullomodo dominice passioni congruam. Passus quippe fuit Dominus Iesus VIII Kal. Apr. luna XV. secundum Iudeos, non XVIII. In hoc scrupulo non tantum venerabilis Beda, sed et plerique ante eum, quos ipse sequendo in multis imitatus est, et plurimi post eum, qui ipsum imitati sunt, herere deprehenduntur. Sed nec inde se absolvit magister noster pie memorie Frütolfus, cuius predicabilis diligentia computationi Bede decem annos addidit in cronici suis colligens a principio mundi IIIMDCCCCLXII annos usque ad nativitatem Christi, quibus XXXIII additis fiunt IIIMDCCCCXCV ad passionem Christi, sicut quem libuerit probare poterit. Quia ergo nefas est non credere veritati evangeliorum et auctoritati sanctorum Ieronimi, Augustini, supersedeamus interim computationem Bede in hac parte et eius imitatorum, donec temptemus, si forte aliquid, quod magis congruat, invenire valeamus auctoritate priorum patrum.

Cap. V.

Primum tamen consideremus, utrum collectio annorum, quam secundum Bedam premisimus, excedat verum numerum annorum ab initio mundi usque ad passionem Domini, necne. Hoc modo certum est, ut proposuimus, quia in passione Christi fuerunt XI epacte secundum Hebreos et quinque concurrentes post bissextum, neque enim illis aliter luna XV., qua passus est Dominus in VIII Kal. Apr., occurrisset in parasceve, sicut nec XVII. in prima sabbatorum VI Kal. Apr., quando resurrexit. Fuerunt vero secundum Bedam, ut premisimus, ab initio ^{b)} seculi ad passionem Domini anni IIIMDCCCCLXXXV, quorum primus, ut premonstravimus, habuit XIV epactas et nullos concurrentes, ultimus VII epactas tres concurrentes cum bissexto. Si autem ab his VII ^{c)} epactis et tribus concurrentibus ultimi anni retrograde numeres, non prius quam in CCCCLXXXIX loco invenies XI epactas et quinque concurrentes post bissextum dominice passioni convenientes. Ne autem CCCCLXXXVIII annos subtrahere presumas de IIIMDCCCCLXXXV, repugnat tibi omnis series et cronica supputatio veteris testamenti. Unde apparet, quia collectio annorum seculi secundum Bedam non pertingit ad passionem Christi. Procedas itaque ab eius ultimo, id est IIIMDCCCCLXXXV anno, VII epactas et tres concurrentes cum bissexto habente, et in XLI. loco conspicias sedere XI epactas et post bissextum V concurrentes idoneas dominice passioni. Quapropter si annis seculi secundum Bedam addideris XL, confidenter et vere, ut estimo, poteris pronuntiare ab initio seculi usque ad passionem Domini defluxisse annos nec plus nec

^{a)} fehlt A. ^{b)} folgt mundi, gestrichen T. ^{c)} fehlt A.